

1554
 Petrus
 Strozzius
 Senas com-
 meatuum
 vim infert.

quam maximam potuit commeatum vim in obsessam civitatem invexit. Verum ea hujusmodi non fuit, ut fame pressi Senenses, imbelli licet, atque inutili plebis turba quotidie extra urbem ejecta, levarentur; brevique victus necessitate perdomitam in Cæsareanorum potestatem concessuram minime dubium erat. His successibus magna non modo Galli molestia afficiebantur, sed ii quoque in Italia Principes, quorum animis libertas, ac dignitas infixæ erat, commovebantur; cum, Senis occupatis, magna in Italia Caroli auctoritati, ac potentiae vis accessura videretur. Nam præter Neapolitanos, atque Insubres, plerique etiam ex iis, qui in Italia ea tempestate imperia Ducis titulo obtinebant, Cosmus Florentiæ, Mantuanus Dux, atque alii minoris notæ Reguli, uno Hercule Ferrariense excepto, partes Cæsaris sequebantur. Itaque quod sæpius irritò conatu Galli tentaverant, tunc denuo efficere adnixi, Venetos ad se attrahere, atque ad opem Senensibus ferendam impellere conabantur.

Lodevensis
 Antistites,
 Galliæ ora-
 toris ad Ve-
 netos oratio.

Lodevensis Antistes, qui Odeti Sylvæ in Veneta legatione successor a Rege datus fuerat, Senatum vel ad opem obsessæ Senarum civitati ferendam, vel ad concordiam urgendam vehementi usus oratione adhortabatur: *Henricum non commodi, quod ad se perventurum speraret, spe, sed insita regia magnanimitate adductum antea Parmam, nunc Senarum urbem in sui clientelam susceptam, armis, copiis, pecunia juvisse: ut prævalidæ, atque præcellentis provinciæ libertatem tueretur, quid summo studio non egisse? immensam auri vim profudisse; trecenta aureorum centena millia erogasse; totidem per eos dies persolvi jussisse; eodem tempore in Subalpinis, Provincia, Hetruria, & Germania, quatuor exercitus aluisse: at quoniam tot labores, atque impensæ evasissent? Senas diutina prope obsidione confectas, atque ad supremam omnium rerum egestatem perductas: nec dum tantarum rerum successibus permotos, atque expergefactos Italos Principes fuisse: cunctos in Venetos oculos conjicere, quæ ipsi agitarent, quæ molirentur sedulo animadvertere, Venetam Rempublicam Italicæ libertatis fundamentum, ac veluti lumen rati: ni bis eventibus commoveretur, ac si in ea, in qua hætenus perstiterat, sententia perseveraret, reliquos illius exemplum secuturos, de Senarum*
 urbe